

Bibliothèque numérique

medic@

**Foy-Vaillant, Jean-François - candidat
/ Douté, Amand - président. - An
Virago foetum progenerat imbecillem
?**

1688.

***Paris : Apud Franciscum
Muguet, Regis, & Facultatis
Medicinae Typographum
Cote : ms 2323 n°149***

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die

Jovis decimâ-octavâ Novembris.

M. AMANDO DOUTE', Doctore Medico,
Præsîde.

An Virago foetum progenerat imbecillem?

I.

TAM stolidorum hominum, quàm sapientum quorundam sermonibus innocens mulier sæpè vapulat. Namque ab illis ubique locorum dente maledico carpitur; despiciatissimum animal ab iis & contemptissimum habetur. Ipse Aristoteles Philosophiæ laude clarus quantum ingenio, quantum eloquentiâ potest, incumbit ad depressionem, perniciemque mulieris: scilicet hanc *ἀπὸ τοῦ ἀνδρός* criminatur, hanc præter vota naturæ parentis in lucem suscipi scribit, quin etiam in dedecus & in opprobrium naturæ factam, non dubitat fœdissimum monstrum appellare. Qui remissius jam agunt cum sceminâ, vasculum esse garriunt, in quo semen hominis futuri conceptum, vitalis spiritus per orbem diffusi beneficio exsuscitetur. Mirum profectò matres à filiis tam malè excipi. Si rem ex æquo voluerimus æstimare, si de solâ Hypatiâ meminisse, quam ferunt ætatis suæ Philosophis longè superiorem, fatebimur maximam esse præstantiam fœminarum, nec aures ampliùs hisce malis dabimus Philosophis, quibus quum æs triplex circa pectus, nec formâ, nec elegantiam muliebri moveri queunt. Quippè licet sinè controversiâ primæ viris deferantur in pluribus seu jure à naturâ dato, seu per vim acquisito; negari non potest fœmineas dotes virtute masculâ minus obscurari. Atque ut omittam cætera vel mentis, vel vitæ munia quæ tam nobiliter à mulieribus, quàm à maribus exercentur, generationis opus, fœminarum proprium & præstantissimum opus esse putaverim. Et verò quid aliud affert vir ad generationem, quàm candentem spumam, quæ spuma vix aliqua modò esse videtur, si fides Anglo doctiori. Fœmina verò dat non *ἡδύς* turpe, salivâ oris excremento vel oculorum lacrymis iniquè collatum, sed ovum illustre, sed materiam stabilem ex quâ jam jam homo novus progignatur. Illa sinu suo fœcundum germen complectitur, fovetque, donec numeris omnibus absolutum hominem in has auras emittat. Huic porrò generationis officio fœmina quæque feliciter non vacat. Quæ staturâ major, numero sobolis plerumque minor. Quæ niveo candore cutis mage conspicua, non præluet fœcunditate clariori. Quod te fortassis in admirationem traducat, sunt è fœminis nonnullæ, quæ bellè nu-

2
triantur, quæ artuum robore præstant, quæ sanitate gaudere videntur flo-
renti, quarum etiam non castiganda segnitas vel quum veneri litandum, vel
quum equitandum: Quæ tamen *ἐκ τῆς περσεύης & ἑτίας* è tribu sunt & curiâ ste-
filium aut paucos omninò liberos & admodum imbecilles progenerant.

I I.

GENERATIONIS opus, Dei satoris suspiciendum opus. Quis enim
glandem videat, nec miretur, ex initiis tam exilibus nemorum decus ar-
borem nasci, quæ sublimi vertice vicina propè feriat sydera. Sed quisquis hu-
manum semem speculabitur, agrè sibi persuasurus est, ex hac rudi mole vi-
rum fieri multis ex partibus conflatum arte mirâ perfectis. Ut autem vivat se-
men ac sobolescat, magni refert, quibus ex fontibus manet, quibus vasis ex-
cipiatur. Si fontes impuri, venus frugiperda, vel vitiis proles deformis fu-
tura. Si vasa compressa & contracta nimis, artus pueriles difficillimè fingen-
tur, debitum non capient incrementum. Sed sicut ea solum rident prata, quæ
salientis aquæ rivis irrigantur; ita nullos ex semine fructus habere possumus,
nisi multus humor ad uterum fluat, quò sitiens puellus recreetur, *ἢ δὲ ὕδατος*
& *ἢ σπέρματος & ἢ ἐσφακτὸς*, *σπερματικόν*. Hinc venas & arterias plures provida na-
tura fecit, ut purpureus liquor jugi fluxione currat ad placentam: moxque hoc
dulciori succo ab umbilici vasis accepto pascatur infans ad satietatem. Nec
enim iis assentior, qui foetum utero captivum nutriri putant seu lacte per os, seu
fero per cutis poros immisso. Quod si non suppetit hæc sanguinis ubertas, fieri
nullatenus potest, benè se se habeat infelix propago. Nam quemadmodum
in annonæ penuriâ sedet in ore pallor & macies in corpore. Quemadmodum
feriis esurialibus corpus languet destitutum cibo familiari: sic puer materni
sanguinis inops, nusquam valet, nusquam colligit vires necessarias, quibus
membra confirmetur ac demum victor ovans ex uteri carcere prorumpat.

I I I.

NON eadem fors, non una conditio fœminarum. Alia est quæ os ha-
bitumque Deæ similis. Alia est quam frontis honos eximie commendat.
Illa necessario colitur, hæc amatur necessario. Quædam est quæ sterit ad
multam diem, quæ fuscum torquet ingloria. Quædam est quæ res arduas ju-
giter animo voluit, quæ matutina, quæ sedula musis operam navat. Est
quæ laboris impatiens, nisi fortè veneri. Est quæ firmis lacertis quodlibet
opus & onus fortiter sustinet. Hæc insigni virtute corporis, mulier à muliere
potest a quissimè disparari. Quod si venas hujus utriusque generis quodlibet
deas, facili negotio capies, quanto distet à se se invicem intervallo. Scili-
cet illa domo conclusa pedem foras non effert, hæc audax omnia perpe-
ti, latebras tecti fugit. Illa solem æstivum æque ac hybernum cavet; hæc
gaudet liberiore campo seu dum Zephiri molles in aëre ludunt, seu dum unâ
Eurusque Notusque ruunt. Illa perpetuo abundat otio; hæc ubique operosa
virilem patientiam in operibus æmulatur, industriam a quat; quodque viro
simillima, Virago celebratur. Rara in terris avis, sic à naturâ comparata mu-
lier, nec fortè pluri æstinanda mulier; si ratio fœcunditatis habeatur, ex
quâ laus maxima fœminis accedit. Et verò licet deliniri sæpè soleat præsentis
amoris voluptaribus: illa tamen pretiosum amoris pomum vix legit. Dum
alterius sexus dotes ipsi tribuit natura, videtur has ipsi negasse virtutes, à

3
 quibus habent cæteræ mulieres quod matres saluentur. Et quidem ut generosa parens filios procreet, locos habeat commodos oportet proli gestandæ. Hi verò loci debent ita esse affecti, ut pro re natâ modò contrahantur, modò protrahantur. Contrahuntur, ut acceptum semen incalescat: sicque motus fiat ad secretionem partium confusarum. Protrahuntur, ut crescat, ut au-geatur conceptus. Nec satis mater optima sanguineos latices effundere tene-
 tur, ut alimenti, simulque augminis materiam filio suppediret: alioquin sus-
 ceptæ proli minùs providere, minùs implere suas partes dicetur. Verùm hæc ambo cæterarum fœminarum ornamenta desiderantur in Viragine, quem-
 admodum & in prosedâ, ac veteranâ virgine quæ *αἰδέσθαι* vixit: quapropter mirum videri non debet, si robusta mulier, aliquandò conceptum nesciat, aut saltem si nullius dignitatis nullius pretii sobolem enitatur.

I V.

EMINENS robur, Athletarum virtus eminens nechon & fœminarum quarundam. Robur exercitio potissimùm acquiritur, à quo induratur omne corpus: naturæ tamen donum est splendidius. Maximè pendet ab affec-tione quadam nervorum, membranarum ac ligamentorum quâ fit ut harum par-tium stamina sibi cohæreant ac continuentur, atque ita motus quosque ferunt sine metu disjunctionis. Quantam enim esse putas cohærentiam vinculorum, quibus vertebræ dorfi colligantur, dum quis enorme pondus per urbis com-pita strenuè bajulat. Sed multo nec fugaci spiritu cava nervorum debent re-pleri quo diutius & alacriùs exerceantur. Hinc qui jejunos, non laborat con-stanter, hinc nisi vino madeant & urantur pane secundo quique, quorum præ cæteris nobilitatæ vires, intrâ breve tempus animo deficiunt. Quibus igitur corpus extructum à naturâ, quod longi laboris rædia ferre queat, caleant illi plurimùm oportet, solidiora nacti sint ossa, nervos, membranas, liga-menta constantia strictiori compactione. Jam verò si rem æquâ lance libremus, an crediderimus? excellens robur conveniat unâ cum inextinguibili fœcundi-tate. Certè nemo sapiens, hæc disjuncta duo componere meditetur. *σώμα πνεύμα* *συνμεικνός* Viragini sæpè numero contingit ex corniolâ quasi duritie connatâ. Undè *σφύραι* velut adstrictiores & compactiores virile semen diffi-ciliùs exsugunt. Sed membranæ quibus constat uterus Viraginis, indolem re-ferunt aliarum partium spermaticarum ex quibus ipsius corpus coagmentatum; duriores sunt illæ, quam ut pateant satis temore prægnationis: adeoque uteri parietibus faciliè puer in habitat. His nimirùm angustis loci compressior, sic tanquam injectis vinculis coercetur, undè nec liberè movetur, nec me-ritâ potitur usquam accretione. Sed qui spiritus *αἰσχροειδής* & *τεχνόειδής* inest præ-cordis Viraginis, si recentem quotidie sanguinem facit, eundem exsorbet quo-tidiè. Quod si parti cuidam optimi liquoris flamma vorax parcit, hæc sanè paucillula, quâ tenuiter, quâ miserè famelicus alatur Embryon. Quæ ergò alibi natura suas opes effundit in nascituros manu quasi prodigâ, has ibi non nisi parcâ dat, ac impertitur. Has ideo conferre potes meritò fœminas cum arbo-ribus, quæ ramos longè, latèque explicant, quæ frondescunt amœnè, quæ superbè comam ad cælum extollunt, avaro tamen colono fructus reddunt admodum ingratos.

MULIEBRIUM locorum coarctatio multum obest accretioni, perfectionique fœtus. Id autem in dubium minimè revocaturus es, modò cum principe medicinæ dudum observaveris, semina melonis aut cucumeris vitreo vase quodam exiguo contenta, non nisi degeneres fructus proferre. Sed si non nihil ad Bononienses canes attenderis, hos idcirco delicatulos, hos parvitate spectandos brevè rescies, quod recens nati quibusdam includantur arculis, ultrà quarum terminos quum artuum moles non distendatur, indè fit catelli non superent quandòque musculi magnitudinem. Alia si quæras exempla, quibus tibi declaratur manifestè, pro minori capacitate uteri minorem puellum obtineri. Non te moror, alia sunt. Si verbi gratiâ, mulier suum cælare velit amorem & quem prægna mater filium alvo continet, ab omnium oculis remove studeat, universum abdomen strictissimè fasciat. Quod si testis oculatus fueris post hac hujus puerperii; videbis, nihil mollius nihil humilior hâc prole, quæ tunc editur ab iniquâ novercâ. Quod si extrinsecus injecta vincula fœtui grave detrimentum afferunt: cur nativa contractio muliebris uteri parem effectum non sortiatur. Si quis demum in animo tuo scrupulus residet; quo fit, minùs credas, juvenem, sanam, viribus cum valentior viro pugnantem fœminam, tantum sanguinis fœtui suppeditare non posse quantum opus ut ipse saginetur, audi Medicum Dictatorem, hic te docebit, robustas mulieres με καταμνησθαι, tributum sanguinis rarò persolvere. Sed si ab oratore accipias omnia quæ tellus concipit semina, temperatione caloris oriri & augescere, quid nî putes? ab æstuosissimâ Viragine mancum ac debilem effectum producendum. Certè sicut sol matutinis horis benignâ luce multos è sinu terræ flores prolicit aliquandò, quos ipse vorat, dum spicula recta vibrat medio die, sic ex potentiori semine Viraginis factus puer, intrâ brevè tempus marcescit, ab eodem propè absumptus igne, à quo fuit eductus.

Ergò Virago fœtum progenerat imbecillem.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ludovicus Gayant, Medicus Regis ordinarius.	M. Claudius Berger.	M. Raphaël Maurin.
M. Franciscus Vezou.	M. Claudius Biendisant.	M. Petrus Crescé.
M. Claudius Puyton.	M. Dominicus de Farcy, Scholæ Professor.	M. Alexander Michaël Denyau, Professor Regius.

Proponebat Lutetiæ JOANNES-FRANCISCUS FOY-VAILLANT,
Bellovacensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.

P A R I S I I S,

Apud Franciscum Muguet, Regis, & Facultatis Medicinæ
Typographum.